

CLASSIS SEPTIMA

VENENORUM  
EXSICCANTIUM &c.

CALX VIVA vide P. II. p. 145.

GYP SUM *Offic. Mineralogorum.* Classis Naturalis Artefactorum. Ordo Terreorum. *Germ.* Gips. *Gallis* Platre. *Anglis* Parget.

**D**e lapide gypseo, igne exusto, præparatum hoc terreum, album, a calce admodum distinctum est; in aere enim non fatiscit in pulverem, nec in aquam demissum effervescentiam excitat, sed illico in lapidis speciem, *plastrum* vocant, concrefcit, quod nulla calcinatione in priorem calcem redigi possit, *Cl. IUSSEU Acad. des Sciences 1719.* & tamen huic calci nihil nisi aqua accessit. Gypsum nostris visceribus irrefolubile venenum esse, intelligimus ex ingenti totius Germanorum exercitus strage, qui gypso farinæ admixto periisse fertur. Salus in aceto. Podagricos dolores suos solo pulvere alabastrino leniisse, *PAULLINUS, KELLNERUS,* testantur.

PLUM-

PLUMBUM *Offic. Mineralogorum.* Classis  
Naturalis Metallorum. Ordo Molliorum ante  
ignitionem liquefcentium. *German.* Bley. *Gallis*  
du Plomb. *Anglis* Lead.

Metallorum omnium cognitorum infimum, *maxime*  
*malleabile, non elasticum, nec tinniens, coloris ex cæ-*  
*sio grysei* PLUMBUM, fusum in superficie nebulam  
contrahit, quam adeo pertinaciter regenerat dum ab-  
lata est, ut etiam totum in hanc fatiscat; hæc *calx*  
*plumbi* dicitur, quæ vehementiori igne flavescens *Ce-*  
*russa Citrina*, intensiori rubra facta *Minium*, & de  
novo maiori igne vexata, fluens, & refrigerata, *Li-*  
*thargyrus* vocatur.

Ab aere, aqua, rubiginem non adeo facile contra-  
hit plumbum, ut ferrum, & cuprum, sed tantum mag-  
is nigrescit, & temporis diuturnitate in cerussam ver-  
titur: oleis non solvitur, licet cerussa, & minium oleis  
pressis, oleo terebinthinæ, coctione solvantur, & bal-  
samum saturni, vel vernisci constituent. Cæterum  
patet plumbum tum in coctione, tum in fusione sali-  
bus alcalinis fixis, etiam sine his admixtulis salibus  
urinosis, spiritui salis ammoniaci, cum quibus in mu-  
cagine albam deliquescit. Acida vero maxime hoc  
metallum referant, quod corrodunt in calcem, sol-  
vunt, unde plurima præparata saturnina fiunt dulcia,  
& in genere omnibus patet menstruis plumbum etiam  
adipi.

Cæterum imperfectum hoc metallum odorem & sa-  
porem habens omnium mollissimum est & sub aqua  
balance hydrostatica ponderatum duodecimam fere sui  
ponderis partem amittit.

PRIN-

PRINCIPIA

1. Terra vitrescibilis; docet vitrificationis facilitas.
2. Phlogiston, quod ex calcinatione plumbi manifestum, uti etiam cineris addito phlogisto resuscitatione.
3. Mercuriale, quod specifica plumbi gravitas, in igne fluxus, perniciosi vapores, mercurii ex plumbo eductio, confirmant; ut vel ex hoc posteriori principio venenati plumbi effectus clarius intelligantur, & iam facile dictu, cur huic metallo multum illaborantes colicam Pictonum, paralyfes, contracturam, tabem patiantur: cur vasis plumbeis utentes, ut etiam vina nefaria arte per lithargyrium manganizata sumentes, similibus afficiantur. In prophylaxi salus in pinguibus, oleosis: In curatione in lacte, emollientibus, nervinis, anodynis, ASTRUC. Acida obsunt. Externe lamellæ plumbi vel solæ, vel mercurio obductæ, canceris occultis a nonnullis imponuntur.

PRÆPARATA præcipua sunt:

MINIUM, calx plumbi igne reverberii in pulverem coccineum, cinnabari æmulum acta; atque in hac præparatione, & minii in plumbum reductione, duo satis curiosa obveniunt phænomena, quod ponderis absoluti in calcinatione incrementum minium assumat, ex centenariò viginti librarum WALLERIUS, decem librarum MULLER; id ipsum vero in reductione iterum amittat. Ignis, aut eius pabulum hoc augmentum facit, HIERNE, bene, quod hodie a caustico & acido pingui repetit egregius Vir MEYERS.

Mi.

Minium ad usus externos in unguenta, & emplastra recipitur, ulceribus prurientibus, humidis, scopo exsiccante, refrigerante, constringente, utile. Est emplastrum de minio officinis.

LITHARGYRUS spuma plumbi semivitrificata, a purificatione metallorum residua, a colore, quo ludit, vel auri, vel argenti, chrysiis, vel argyritis dicta, lavigatur, edulcoratur, exsiccatur in usus medicos; moderate exsiccans, adstringens, ad loca excoxiata, femorum intertrigines, laudatur. Prostat in officinis unguentum de lithargyrio, quod alias etiam nutritum audit, quia epuloticum, est cum aceto lythargyrii & oleo olivarum factum; ad ambusta laudatur.

Cæterum & hic loci dici merentur ex lithargyrio, & aceto concinnata ea medicamenta, quibus egregius GOULARD rebelles urethræ morbos curavit, *in libello Memoire sur les maladies de l'urètre, Et sur un remède spécifique pour les guerir, a Montpellier 1751.* Recipit vero medicamentum lithargyrii totidem libras, quot pintas aceti, quæ in aheno per horam vel quinque horæ quadrantes, continuo, agitata spatula lignea, ebulliunt: ab igne seposita quiescit materies, liquor supernatans sedimento per inclinationem effunditur, & lagenis servatur; huius uncia semis ceræ fusæ libræ uni continua agitatione incorporatur, miscelæ debite factæ tenuia lineata in formam linguæ exacta immerguntur, convoluta in candelulas effinguntur, urethræ insinuanda.

Sunt vero, quæ in hoc processu notes, plurima; primo quidem, lineata debere esse tenuis texturæ, Hollandica, extensa, lente liquido, nec nimis calido, nec ni-

nimis frigido immergenda, immersa lente iterum & per gradus educenda, obducta rite, nec guttas amplius stillantia, ad refrigerandum reponenda, tum in obliquas linguas concidenda, longitudine varia, novem pollicum maxima; convolvuntur in candelulas exiguas, quæ carnositatibus ordinariis fundendis sufficiunt.

Quodsi vero annosiores, callosæ etiam sint, aut fistula perinæi stipatæ, actuari sequenti medicamento candelulæ debent. Id vero recipit ceræ uncias sex, præcedentis liquoris unciam unam semis, duas; Huïciam, sub continua, ut prius, cum spatula agitatione, immiscetur cera, tum remotis ab igne, ut prius, candelularum extremitatem tenuiorem aliqua altitudine immerge, refrigeratam inter duo marmora in cylindrum coge, & utere. Est adhuc candelularum simplicium, iis in casibus præmittendarum, ubi urethra sensibilior, dolentior, formulæ alia, quæ præcipit, ut ceræ granulatae libris sex, sevi vervecis libræ semis, fusis, olei amygdalini sine igne pressi libra semis, agitata spatula commisceatur ad perfectam miscelam, ab igne remotis lintea ut prius intingantur.

Ex aliis conficere cereos docuit L'OLIVE Chirurgus Barcelonensis; prima pro carunculis consuetis formulæ est: ℞. Mercurii dulcis drachmas duas, antimonii crudi unciam semis, tutiæ præparatæ drachmam unam, rite mixta cum oleo amygdalarum redigantur in formam unguenti. Secunda pro durioribus: ℞. Pulveris fabinæ drachmas quatuor, aluminis usti drachmam unam, exacte miscendo fiat pulvis subtilis, in quem cereus aqua gummi tragacanthi gravidus immergitur, qui sic oleo amygdalarum oblinitur, & in urethram immittitur. Candelulæ D. GOVLARD præferendæ sunt.

CERUSSA, plumbi rubigo, seu acido rosa calx alba plumbi, aliis plumbi preparatis valentior, iam DIOSCORIDI vi refrigerante, excrescentias reprimente nota; est cosmeticum familiare mulieribus, nec longo usu tutum, nec, quod faciem magis denigret, & corruget, utile: Unguentum album simplex, aceto soluta cerussa, addita axungia exurgens, locis excoriatis, ambustis, prurientibus proficuum.

ACETUM SATURNI est acetum cerussa dives.

SACCHARUM SATURNI. Est *inspissatum in chrystallos saturni acetum*, verum sal plumbi, saporis dulcis, & adstringentis. Saccharum saturni ex cerussa factum facile crystallifatur, ex Minio aut Lythargyrio confectum vix si unquam rationem caustici suppeditat. MEYERS. l. c.

USUS externus chirurgis semper multus in purganda a maculis cute, ulcusculisque varii generis abigendis, BOERHAAVE *Chem*: tollenda partium inflammatione, IDEM; repercutit enim, & refrigerat in ophthalmia, ST. YVES; in ambustionibus, MICHAELIS; in coercendo scirrho, ne in cancrum eat, BOERHAAVE, HEISTERUS: at hodie cicuta feliciter opitulatur. Saccharum saturni gangrænam partibus, quibus applicatum, sæpe inducit. QUESNAY *de la supuration*. Internus semper suspectus usus; datur tamen hinc inde sub finem in gonorrhœis. Sunt qui in phthisi laudent, sunt qui in febribus inflammatoriis cum camphora, nitro, aliis, extollant, vide HUNDETMARK *de saccharo saturni*.

BAL.

BALSAMUS SATURNI. Est saccharum saturni oleo terebinthinæ solutum, in ulceribus fordidis, atque cancris utile, ETMULLER, IUNCKEN, imo & plumbi balsamum cum oleis expressis vel stillatitiis valere in his, BOERHAAVE in *Chem.* contendit.

PLUMBUM USTUM. Est calx plumbi cum sulphure, calcinatione parata, edulcorata, siccata.

STANNUM *Offic. Mineralogorum.* Classis Naturalis Metallorum. Ordo ante ignitionem liquefcentium. *Germ. Zinn. Gallis Etain. Anglis Tin.*

*Metallum imperfectum cum livore splendens, fragile, sonorum, omnium levissimum* STANNUM, ut plumbum in calcem, vitrum, etiam in auras abit, accensum odorem sulphureum, alliaceum habet, aliis metallis, recipit vero omnia, ductilitatem demit imixtum.

Etiam hoc inter manus fricatum odorum, tum sapidum est & sub aqua bilance hydrostatica ponderatum unam septimam sui ponderis partem anittit.

PRINCIPIA sunt

1. Terra alba, alcalinæ indolis, OMNES, specificæ WALLERIUS in HIERNE, difficulter vitrescibilis, docet vitrificatio.

2. Principium sulphureum inflammabile, quod etiam per se absque addito inflammetur, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1738.* quod cum nitro fuso detonet & distillatione sulphur addito vitrioli oleo largiatur. Cæterum vix non semper stanno arsenicum inest HENCKEL.

*Crantz M.M. T.III.*

H

GEOF.

GEOFFROY, *Acad. des Sciences 1738.* licet de eius natura non sit, datur enim etiam arsenico liberum, MARGGRAFF *Acad. de Berlin T. III.* sed vix ad usum communem tale adhibitum invenitur. Uncia semis stanni Indici vix non drachmam dimidiam arsenici continet, in Anglico maior, maxima in Saxonico eius proportio est. IDEM. *Acad. de Berlin.* Ut merito concludatur perpetuum vasorum stanno obductorum usum noxium esse, maxime si acida per noctem in his vasis ferventur. Stannum enim venale, semper plumbo infectum, acidis etiam debilioribus patet, tum ob plumbum, tum ob propriam substantiam, purum enim stannum etiam his solvitur, IDEM. Luculentissima experimenta stanni Indici, Anglici, & Germanici acido soluti, vide *Ibidem.*

USUS in medicina vix multus. Stanni purissimi rasi drachmam unam, bis de die cum conserva vorandam, ad tæniam expellendam nonnulli laudant. Stanni rasi, coralliorum rubrorum, ana drachmam unam, cum conserva absynthii, bis de die sumendam MEAD, & stanni pulverem ad unciam semis bis in die dari posse *Pharm. pauperum in usum Nosocomii Edimburgensis,* præcipit, tum contra tæniam primam FLATERI stanni unciam unam, theriacæ uncias quatuor pro prima dosi, pro secunda altero die exhibenda unciam stanni dimidiam, theriacæ uncias duas & pro tertia eandem quantitatem recommendavit & probavit ALSTON *Society in Edimburgh Vol. V. P. 1.* In hac vero præscriptione id ex utilitate & necessitate animadverto, *Cl.* virum theriacam Andromachi intelligere non posse, siquidem in prima dosi unciarum quatuor continentur opii grana viginti novem ad minimum, ipso *Cl.* viro docente in commentario *de opio* eodem volumine contento, sed intel-  
 lige-



ligere theriacam Edimburgensem posse, quod, ne alii in errorem inducerentur, addi debuerat. Item militem leprosum brevi tempore scrupulo uno amalgamatis stanni, singulis diebus sumpto, curatum in nosoc: milit: Londinens, in *Recueil Period.* habetur. Datur etiam contra hydrophobiam, perperam tamen, L. B. van SWIETEN.

PRÆPARATIONES sunt:

SAL IOVIS. Crystalli calcis stanni aceto potentissimo solutæ, inspissatæ, inutiles.

MAGISTERIUM STANNI. Stanni pulvis acido solutus, alcali præcipitatus, absurdus.

ANTIHECTICUM POTERII calx antimoni iners cum calce stanni, omni absorbente deterior, periculiosior, STAHL.

SYNOPSIS seu RUBRICA FABRILIS *Offic.*  
*Mineralogor.* OCHRA. Classis Naturalis Terrarum Ferrearum. Ordo non mineralifatarum.  
*Germ.* Röthel Kreide. *Gallis* Craye Rouge.

OCHRA *rubra cretacea* WALL. Martialis, sicca, & adstringens est; vires in ea laudavit DIOSCORIDES emplasticas, conglutinantes, vulnerarias: Ovo sumptam, ut & clymate iniectam, alvum sistere etiam reliquit. Usus hodie solum externus, & is parvus. Venenata qualitas experimentis non adeo confirmata est.

His adde venena alia molesta, glutinosa.



H 2

VE.

---



---

**V E G E T A B I L I A.**

**CYNOSBATI** spongia *Offic.* ROSÆ Sylve-  
fris *Botanicorum*. Classis Naturalis Calyciflorarum.  
*Germ.* Dürre Hieslen. *Gallis* Eponge  
d'Eglautier. *Anglis* Spunge of Heps.

**CYNOSBATI** spongia nidus infectorum est, vil-  
losus, hirtus, aqua maceratus tumidior, canum  
ordinarium venenum, quod assumptus expansus ven-  
triculi orificium superare non possit, sic anxietates, mor-  
tem inferat. Multi tamen etiam medicatum faciunt;  
experimenta desunt. Fructuum dilutus decoctum in  
ischuria, in *Astor. Helv.* Tom. II. laudat HOFERUS,  
dubio tamen, ut ipse fatetur, experimento.

**FUNGI.** *Offic. Botanicorum* Classis Naturalis  
Cryptantherarum. *Germ.* Schwämme. *Gallis*  
Champignon. *Anglis* Mushroom.

**FUNGORUM** natura iam veteribus satis perspe-  
cta fuit; testatur DIOSCORIDES, qui fungos alios no-  
xios, alios esse esculentos pronunciauit, & PLINIUS,  
cibo hoc ancipiti integras familias periisse, & iam tum  
veneni loco usurpatos fuisse reliquit: Tum CLAUDIUM  
Cæsarem boleto interfectum narrat, NERONEMQUE  
Deorum broman, seu escam, fungos vocare solitum,  
quia CLAUDIUS, cuius successor NERO fuit, inter  
Deos, a fungo peremptus, esset relatus. Nostrorum  
temporum monumenta plurimas de venenatis fungis  
strages habent, imo ex solo odore venenati fungi con-  
vulsiones, & motus epilepticos, dein mortem, enar-  
rat

rat FORESTUS, ab esu stultitiam IDEM testatur, dirissima mala alii. Salus a vomitu, saponaccis, mel-litis, anodynis.

PSYLLII Semen *Offic.* Semen PLANTAGINIS *Botanicorum.* Classis Pauci-stam. *Germ.* Flohfaamenkraut. *Gallis* herbe aux puc-ces. *Anglis* Flea seed.

PLANTAGO *caule ramoso erecto*; Nigrum, pul-cibus simile semen, admodum mucilaginosum est. Vis venenata haud post DIOSCORIDIS sententiam cer-ta, mucilaginosa ad loca excoriata, ambusta, ad rigi-das, induratas partes emolliendas, utilis. Raro inter-ne datur.

VISCUM QUERCINUM *Offic. Botanicor.* Classis Naturalis Incomplet. *Germ.* Eichel My-stel. *Anglis* Miseltoe of the oak.

VISCUM Album, *foliis lanceolatis obtusis, cau-le dichotomo, spicis axillaribus.*

Parasitus frutex ex fraxino, tilia, maxime quercu nascitur, delato in has arbores semine. Baccas habet candidas, transparentes, succo tenacissimo præditas, unde gluten aucuparium conficiatur, nobis indomabile venenum. Viscum emollire, discutere, extrahere parotidas, tubercula, cæterasque collectiones ad maturi-tatem ducere, resinæ & ceræ mixtum, DIOSCORIDES. Usus huius in medicina nullus, sed ligni ad epilepsiam plurimorum repetitis experimentis deprædicatur, & nuper adhuc sex epilepticos hoc remedio percuravit IACOBI.

Dosis in pulvere gran. triginta, etiam maior, omni trihorio, superbibendo uncias aliquot infusi eiusdem; laudatur infusum adhuc in arthritide, laxitate, solidorum languoribus *Act. Physic. Med. N. C. Vol. I.* In hysteriis affectibus, & nervorum morbis, convulsione, paralyfi, stupendi effectus, BRADLEY; in gravedine, morbis catarrhosis vis visci quercini errhina multum deprædicatur, *Act. Physic. Med. Acad. N. C. Vol. VIII.* Per os pota urinam turbidam reddit, & sudorem particularem excitat. *Ibidem.*



CLAS